Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 249
Quelle:
Copyright:

inertia pro *fouit*. De Autore adi *Fabric. Bibl. lat.* edit. *Ernest.* T. II. p. 29. Confer et *Lessingii* Symbolas vernac. e *Biblioth. Wolfenbut.* I. p. 67.

XCIV. VII. H. 31.

709 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 58. 4. inscribitur: *Anti — Politicus Regis Davidis Spiritus in Ferdinando II. Romanorum Imperat. semper Augusto &c. rediuiuus Pia Psalmorum Paraphrasi expressus, nec non ad Res eiusdem pro Ecclesia Dei præclare in Imperio gestas accommodatus. Paraphraste J. W. J. C. Anno* MDCXXXVIII. *Psalmi* sunt XX. primi interpolati ad modum, quem Specimen e *Ps.* IX. excerptum et hic adscriptum exhibet: *In* cædendo et *conuertendo inimicum meum* Palatinum, Gabor, Danum, Suecum et Gallum *retrorsum* in terras suas: *infirmabuntur* cum rebellibus subditis meis, *et peribunt*, non a me, nec ab Exercitu meo, sed *a* irata *facie tua.*

Quoniam tu solus *fecisti iudicium meum et causam meam* defendendam suscepisti: *sedisti super Thronum qui iudicas* et respicis non Rationem Status, sed *iustitiam. Increpasti gentes*, Bohemos meos, *et periit impius* Fridericus: *nomen*, famam, et honorem *eorum*, qui direxere, *delesti in æternum*, *et in sæculum sæculi.*

Inimici mei, Palatini *defecerunt* in prælio Pragensi, *frameæ*, arma, et uires *in finem*, *et ciuitates*, ac terras *eorum*, qui militarunt ipsi, *destruxisti* et confiscasti.

Periit memoria eorum, Directorum *cum sonitu*, et tonitru bombardarum, et tormentorum in Monte Albo boantium et resonantium, *et Dominus* cum Ecclesia sua et fidelibus Seruis suis *in æternum permanet.*

Parauit iterum *in iudicio thronum suum*, *et ipse*, non ego, non Bauarus, non Tillius, non Cordua, *iudicabit* Durlachium, mox Halberstadium, post Mansfeldium, et instruet inde *orbem terræ in æquitate: iudicabit populos*, non in Ratione Status, sed *in iustitia.*

Atque haec satis ad formandum de Ceteris judicium. Quid si Literae I. W. *Johannem Weingartnerum* e S. J. *Ferdinando* a sacris Concionibus, et Literae I. C. non *Juris Consultum*, sed aut *Jesuitam Concionatorem*, aut *Jesu Commilitonem* tegerent? Sed nihil definio.

XCV. VIII. E. 29.

Codex membraneus lat. Sec. 378
XIII. Folior. 146. f. luculente scriptus, rubricisque decoratus inscribitur: *Incipit Prefatio. Honorii. in Cantica Canticorum.* Initium: *Donum. Sapientię. cum Salomone poscenti. a uero pacifico postulata consequi. Quia predecessori tuo beatę memorię. Uenerando abbati C.* (Cunoni) *librum dauid utcunque explanaui* &c. Ut in